rum.vbi vnuſqſqz tm̄ diligit proximū ſuū
quantū ſeipm̄.ꝛ tantū de ſuo gaudio gau/
det quātū diligit. Ita etiā quiſqz plus abſ/
qz eſtimatiōe de dei qz̄ de ſua ꝛ oim̄ electoꝝ
gaudet felicitate.qꝛ ſicut deū toto corde to
ta aīa tota mente diligit.ita ad plenitudi/
nē gaudij illi⁹ totū coꝛ. tota aīa. tota mēs
nō ſufficit. Quia tantū gaudebūt quantuʒ
amabūt.tantū amabūt quantū videbunt.
Certe nec oculus vidit.nec auris audiuit.
nec in coꝛ homis aſcēdit quantum te ama/
bunt ꝛ cognoſcēt ſcti dei. Oro deus meus.
cognoſcā te.amem te.vt eternalit̄ gaudeaʒ
de te. Et ſi nō poſſum ad plenū in hac vita
creſcat ſaltē hic noticia tui ꝛ amoꝛ.vt ibi ſit
plenum gaudiū.hic ſit in ſpe. ꝛ ibi ſit in re.
Dn̄e pater ꝑ filiū tuū hic iubes imo conſu
lis petere.ꝛ ꝓmittis accipe.vt gaudiuʒ no/
ſtrū plenū ſit. Peto dn̄e quod ꝑ admirabi
lem conſiliariū tuū ꝯſulis petere ꝛ ꝓmitt̄
accipe.vt gaudiū noſtrū ſit plenū. meditet̄
de hoc mens mea.ſermocinet̄ os meū.lo/
quat̄ inde lingua mea.eſuriat aīa mea.ſi/
tiat caro mea.donec intret in gaudiuʒ dei
mei.qui eſt trinus ꝛ vnus benedictus in ſe
cula.Amen.

¶ Finit ſoliloquiū ſancti Bonauēture de
quattuoꝛ mentalibꝫ exercitijs.

¶ Prologus Bonauenture in itinerariū
mentis in deum.

IN principio pri
mum principiū (a quo cūcte il/
luminatiōes deſcendūt tanqz a
patre luminū.a q̄ eſt om̄e datū optimuʒ.et
om̄e donū ꝑfectū) patrē ſcʒ eternū inuoco
ꝑ filiū eius dn̄m noſtrū ieſum chriſtū.vt in
terceſſione ſctiſſime ꝟginis marie genitri/
cis eiuſdeʒ dei ꝛ dn̄i nr̄i ieſu chriſti.et beati
franciſci ducis ꝛ pr̄is nr̄i det illumiatos o/
culos mentis nr̄e.ad dirigēdos pedes no
ſtros in viā pacis illi⁹.que exuperat omnē
ſenſum.quā pacē euāgelizauit ꝛ dedit dn̄s
noſter ieſus chriſt⁹. cui⁹ p̄dicatiōis reperi/
toꝛ fuit pater nr̄ ſanct⁹ Franciſc⁹. in omni
ſua p̄dicatiōe pacē in p̄ncipio ꝛ fine annun
cians.in om̄i ſalutatiōe pacē optans.in om
ni ꝯtemplatiōe ad extaticā pacē ſuſpirans.
tanqz ciuis illi⁹ hieruſaleʒ. de qua dicit ille
vir pacis.q̄ cū his qui oderūt pacē erat pa/
cificus. Rogate q̄ ad pacē ſunt hieruſaleʒ.
Sciebat em̄ ꝙ thron⁹ ſalomonis nō erat
niſi in pace.cū ſcriptuʒ ſit. In pace fact⁹ eſt
locus ei⁹.ꝛ habitatio ei⁹ in ſyon. Cū igit̄ ex/
emplo beatiſſimi pr̄is nr̄i franciſci hāc pa/
cem anhelo ſpūquererē ego peccatoꝛ. q̄ loco il
lius pr̄is beatiſſimi poſt ei⁹ tranſituʒ ſepti/
mus in generali fratrū miſterio. ꝑ oia indi
gnus ſuccedo.ꝯtigit vt nutu diuino anno
poſt ipi⁹ beati pr̄is trāſitū.xxxiij.ad montē
aluerne tanqz ad locū quietū. amore q̄ren/
di pacē ſpūs declinarē.ibiqz exiſtens dum
mente tractareʒ aliq̄s mētales aſcēſiones i
deū.inter alia occurrit illud miraculū.qd
i p̄dicto ꝯtigit loco ipi btō frācīſco.de viſio
ne videlicʒ ſeraph alati inſtar crucifixi. In
cui⁹ ꝯſideratiōe ſtatim viſum eſt mihi ꝙ vi
ſio illa p̄tenderet ipi⁹ pr̄is nr̄i ſuſpenſioneʒ
in cōtemplādo.ꝛ viā ꝑ quā ꝑuenit̄ ad eam.
Nā ꝑ ſenas alas illas recte intelligi poſſūt
ſex illumiationū ſuſpenſiōes.quibꝫ aīa q̄i
quibuſdā gradibꝫ ꝛ itineribꝫ diſponitur vt
trāſeat ad pacē.ꝑ extaticos exceſſus ſapien
tie chriſtiane. Via aūt nō eſt niſi ꝑ ardentiſ
ſimū amoreʒ crucifixi.qui adeo paulum ad
terciū celum raptuʒ transformauit in chri/
ſtum.vt diceret. Chriſto cōfixus ſum cruci
viuo ego iā non ego. viuit autē in me chri/
ſtus. Qui etiā adeo mentem Franciſci ab/
ſorbuit.quod mens in carne patuit.dū ſa/
cratiſſima paſſiōis ſtigmata i corpore ſuo
ante mortē per bienniū deportauit. Effigi
es igit̄ ſex alarū ſeraphicarū.inſinuat ſex il
luminationes ſcalares.que a creaturis in/
cipiunt.ꝛ perducūt vſqz ad deum.ad quem
nemo intrat recte niſi ꝑ crucifixū. Naʒ qui
non intrat per oſtium in ouile.ſed aſcendit
aliunde.ille fur eſt ꝛ latro. Si quis vero ꝑ
hoc oſtium introierit.ingredietur ꝛ egredi/
tur ꝛ paſcua inueniet. Propter quod dicit
Johēs in Apocalypſi. Beati qui lauāt ve/
ſtimēta ſua in ſanguie agni.vt ſit poteſtas
eoꝝ in ligno vite.et per portas ingredian
tur ciuitatē. Quaſi diceret. Q per contem/
platiōnē ingredi nō poteſt hieruſaleʒ ſup/
nam niſi ꝑ ſanguineʒ agni intret tanqz per
portam. Non em̄ diſpoſitus eſt aliquo mo
do ad contēplatiōes diuinas. que ad men
tales ducunt exceſſus.niſi cū daniele ſit vir
deſiderioꝝ. Deſideria autē in nobis inflā/
mantur dupliciter. ſcilicet ꝑ clamorē ora/
tionis.que rugire facit a gemitu cordis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

per fulgorē ſpeculatiōis. qua mens ad ra/
dios lucis directiſſime ⁊ intentiſſime ſe cō
uertit. Igitꝰ ad gemitū orōnis ꝑ xp̄m cruci
fixū (ꝑ cuiꝰ ſanguinē purgamur a ſordibꝫ
viciorꝫ) primū quidē lectorē inuito. ne for/
te credat ꝙ ſibi ſufficiat lectio ſine vnctiōe.
ſpeculatio ſine deuotiōe. inueſtigatio ſine
ammiratiōe. circūſpectio ſine exultatione.
induſtria ſine pietate. ſcientia ſine caritate.
intelligētia ſine humilitate. ſtudiū abſqꝫ di
uina grā. ſpeculū abſqꝫ ſapīa diuinitꝰ inſpi
rata. Preuentis igitꝰ diuīa grā humilibꝫ et
pi̇js. cōpunctꝭ ⁊ deuotꝭ. vnctis oleo diuine
leticie ⁊ amatoribꝫ diuīe ſapīe. ⁊ eiꝰ deſide/
rio inflāmatis. vacare volentibꝫ ad deū ma
gnificandū. amandū ⁊ etiā deguſtandum.
ſpeculatōes ſubiectas ꝓpono. inſinuans ꝙ
parū aut nihil eſt ſpeculū exterius ꝓpoſitū.
niſi ſpeculū mentis nr̄e terſum fuerit ⁊ po/
litū. Exerce igitꝰ te homo dei p̄us ad ſtimu
lū ꝯſcientie remordentē. anteqꝫ oculos ele/
ues ad radios ſapiētie in eiꝰ ſpeculo relucē
tes. ne forte ex ip̄a ſpeculatione radiorꝫ. in
grauiorē incidas foueā tenebrarꝫ. Pla/
cuit aūt diſtinguere tractatū in ſeptē capi/
tula. premittēdo titulos ad faciliorē intel/
ligētiā dicendorꝫ. Rogo igitꝰ ꝙ magꝭ penſetꝰ
intentio ſcribentꝭ qꝫ opꝰ. magis dictorꝫ ſen
ſus qꝫ ſermo incultꝰ. magꝭ veritas qꝫ ſmo/
nū venuſtas. magꝭ exercitatio affectꝰ qꝫ eru
ditio intellectꝰ. Qđ vt fiat. nō eſt harꝫ ſpecu
lationū ꝓgreſſus ꝑfunctorie trāſcurrēdus
ſed moroſiſſime ruminādus.

¶ Finit prologus.
Incipiūt capitula.

PRimū capitulū de gradibꝫ aſcēſio/
nis in deū. ⁊ de ſpeculatiōe ipiꝰ per
veſtigia eiꝰ in vniuerſo. Scđm
de ſpeculatiōe dei in veſtigijs ſuis in hꝫ ſen
ſibili mūdo. Terciū de ſpeculatiōe dei ꝑ
ſuā imaginē. naturalibꝫ potētijs inſignitā.
Quartū de ſpeculatiōe dei in ſua imagi
ne donis gratuitꝭ reformata. Quintum
de ſpeculatiōe diuīe vnitatis ꝑ eiꝰ nomen
primariū. qđ eſt eſſe. Sextū de ſpeculati
one beatiſſime trinitatꝭ in eiꝰ nomīe. qđ eſt
bonū. Septimū de exceſſu mētali ⁊ my
ſtico. in ꝗ requies datꝰ intellectui. affectu to
taliter in deū ꝑ exceſſum trāſeunte.

¶ Incipit ſpeculatio pauperis in deſerto.
Primum capitulū de gradibꝫ aſcenſio/
nis in deū. ⁊ de ſpeculatione ipiꝰ ꝑ veſtigia
eius in vniuerſo.

BEatus uir cu
ius eſt auxiliū abs te. aſcē/
ſiones in corde ſuo diſpo/
ſuit in valle lachrymarꝫ in
loco quē poſuit. Cū beati/
tudo nihil aliud ſit qꝫ ſum
mi boni fruitio. ⁊ ſummū bonū ſit ſup̄ nos
nullus pōt effici beatꝰ. niſi ſup̄ ſeip̄m aſcen
dat. nō aſcenſu corꝑali ſed aſcenſu cordiali.
Sed ſupra nos leuari nō poſſumꝰ niſi per
ꝟtutē ſupiorē nos eleuātē. Quātūcūqꝫ enī
gradus interiores diſponantꝰ. nihil fit niſi
diuinū auxiliū comitetꝰ. Diuinū aūt auxili/
um comitatꝰ eos. ꝗ petūt ex corde humilitꝰ
⁊ deuote. ⁊ hoc eſt ad ip̄m ſuſpirare ī hac la
chrymarū valle. quod fit ꝑ feruentem ora/
tionē. Oratio igitꝰ mater ⁊ origo eſt ſurſum
actionis in deū. Ideo Dionyſius in libro
de myſtica theologia. volens nos inſtrue/
re ad exceſſus mentales p̄mo p̄mittit ora/
tionē. Oremus igitꝰ ⁊ dicamus ad dominū
deum noſtrū. Deduc me dn̄e in via tua. et
ingrediar in veritate tua. Letetꝰ cor meum
vt timeat nomē tuū. In hac oratiōe oran/
do illumiamur ad cognoſcēdū diuine aſcē
ſionis gradus. Cū enī ſm ſtatū ꝯditionis
noſtre ip̄a rerū vniuerſitas ſit ſcala ad aſcē
dendū in deum. ⁊ in rebꝫ quedā ſint veſtigi
um. quedā imago. quedā corꝑalia. quedaꝫ
ſp̄ūalia. quedā tempalia. quedaꝫ euiterna.
ac ꝑ hoc quedā extra nos. quedā intra nos
ad hoc ꝙ ꝑueniamus ad primū principiuꝫ
conſiderandū. ꝙ eſt ſpiritualiſſimū et eter/
num. et ſupra nos. oportet nos tranſire ꝑ
veſtigiū quod eſt corꝑale ⁊ temporale ⁊ ex/
tra nos. et hoc eſt deduci in via dei. Opor/
tet etiā nos intrare ad mentē noſtrā que ē
imago dei euiterna ⁊ ſpiritualis ⁊ itra nos.
et hoc eſt ingredi in veritatē dei. Oportet
etiā nos trāſcendere ad eternū ſpiritualiſ
ſimū et ſupra nos. aſpiciēdo ad p̄mum p̄n/
cipium. et hoc eſt letari in dei noticia et re/
uerentia maieſtatis. Hec eſt igitꝰ via trium
dierū in ſolitudine. Hec eſt triplex illumi/
natio vnius diei. et prima eſt ſicut veſpera.
ſecunda ſicut mane. tercia ſicut meridies.
Hec reſpicit triplicē rerum exiſtentiā. ſcili/
cet in materia. in intelligētia. ⁊ in arte diui/
na. ſm quaꝫ dictum eſt. fiat. fecit. et factum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

eſt. Hec etiā reſpicit triplicē ſubſtantiā in
chriſto. q̄ eſt ſcala nr̄a. ſcꝫ corꝑalē. ſpūalē ⁊
diuinā. Scōm hūc triplicē ꝓgreſſum. mēs
nr̄a tres habꝫ aſpectꝰ ꝑncipales. Unus eſt
ad corꝑalia exteriora. ſm̄ quē vocat̄ aīali/
tas ſeu ſenſualitas. Alius intra ſe ⁊ ī ſe. ſm̄
quē dr̄ ſpūs. Terciꝰ eſt ſup̄ ſe. ſm̄ quē dicit̄
mens. Ex qb᷒ oīb᷒ diſponere ſe debꝫ ad
ꝯſcendendū in deū. vt ipm̄ diligat ex tota
mente. ex toto corde. ⁊ ex tota aīa. in q̄ con
ſiſtit ꝑfecta legis obſuatio. ⁊ ſimul cū h̄ ſa
pientia chriſtiana. Quoniā aūt q̄libet p̄di/
ctorū modorū geminat̄. ſm̄ q̄ ꝯtingit cōſi
derare deū vt alpha ⁊ o. ſeu inq̄ntū contin
git videre deū in vnoquoqꝫ p̄dictorꝝ modo
rū. vt ꝑ ſpeculū. ⁊ vt in ſpeculo. ſeu q̄ vna/
queqꝫ iſtarꝝ ꝯſiderationū habet cōmiſceri
alteri ſibi ꝯiuncte. ⁊ hꝫ ꝯſiderari in ſua pu/
ritate. Hinc eſt q̄ neceſſe eſt hos tres ḡdus
ꝑncipales aſcēdere ad ſenariū. vt ſic deꝰ ſex
dieb᷒ ꝑfecit vniuerſum mūdū. ⁊ in ſeptio re
quieuit. ſic minor mūdus ſex ḡdib᷒ illumi/
nationū ſibi ſuccedentiū. ad quietē ꝯtēpla
tionis ordinatiſſime ꝑducat̄. In cuiꝰ rei fi
gura ſex gradib᷒ aſcēdebat̄ ad thronū ſalo
monis. Seraphin (que vidit Iſaias) ſe/
nas alas habebant. Poſt ſex dies vocauit
deꝰ moyſen d̄ medio caliginis. Et chriſtus
poſt ſex dies. vt dr̄ in Mattheo duxit diſci
pulos in montē. ⁊ trāſfiguratꝰ eſt ante eos

Iuxta igit̄ ſex gradꝰ aſcēſionis in deum.
ſex ſunt gradꝰ potētiarꝝ aīe. ꝑ q̄s aſcendi/
mus ab imis ad ſumma. ab exteriorib᷒ ad
intima. a tꝑalib᷒ ad eterna. ſcꝫ. ſenſus. ima/
ginatio. rō. intellectꝰ. intelligētia. ⁊ apex mē
tis ſeu ſynderesis ſcintilla. Hos gradꝰ ha/
bemꝰ in nobis plātatos ꝑ naturā. deforma
tos ꝑ culpā. reformatos ꝑ grām. purgādos
ꝑ iuſticiā. exercēdos ꝑ ſcientiā. ꝑficiendos
ꝑ ſapientiā. Scōm em̄ ꝑmā nature inſtitu
tionē creatꝰ fuit hō habilis ad ꝯtēplatiōis
quietē. ⁊ iō poſuit eū deꝰ in paradiſo delici/
arū. Sed auertēs ſe a v̄o lumīe ad cōmu/
tabile bonū. incuruatꝰ eſt ipe ꝑ culpā ꝓpriā
⁊ totū genꝰ ſuū ꝑ originale pctm̄. qd̄ dupli/
citer infecit hūanā naturā. ſ. ignorātia men
tē. ⁊ ꝯcupiſcētia carnē. ita q̄ excecatꝰ homo
⁊ incuruatꝰ in tenebris ſedet. ⁊ celi lumē nō
videt niſi ſibi ſuccurrat grā cū iuſticia ꝯtra
ꝯcupiſcentiā. ⁊ ſcia cū ſapiētia ꝯtra ignorā/
tiā. qd̄ totū fit ꝑ ieſum xp̄m. q̄ factꝰ eſt nob
a deo ſapiā ⁊ iuſticia. ⁊ ſanctificatio ⁊ redē/
ptio. Qui cū ſit dei v̄tus ⁊ ſapiā. ſit verbum
incarnatū plenū grē ⁊ veritatꝭ. grām ⁊ veri
tatē fecit. grām ſcꝫ charitatꝭ infudit. que cū
ſit de corde puro ⁊ ꝯſcia bona. ⁊ fide non fi
cta. totā aīā rectificat. ſm̄ triplicē ipiꝰ aſpe
ctū ſupra dictū. Scientiā veritatꝭ edocuit
ſm̄ triplicē modū theologie. ſcꝫ ſymbolice
ꝓprie ⁊ myſtice. vt ꝑ ſymbolicā recte vtamur
ſenſibilib᷒. ꝑ ꝓpriā recte intelligibilib᷒. ꝑ my
ſticam rapiamur ad ſupmētales exceſſus.
Quicūqꝫ ḡ vult in deū aſcēdere. neceſſe eſt
vt vitata culpa deformāte naturā. natura/
les potētias ſup̄ dictas exerceat. ad grāiā
reformantē, ⁊ h̄ ꝑ orōnē. ad iuſticiā purifi/
cantē, ⁊ h̄ in ꝯuerſatiōe. ad ſciam illuminā/
tem, ⁊ h̄ in meditatiōe. ad ſapiētiā ꝑficientē
⁊ h̄ in ꝯtemplatiōe. Sicut igit̄ ad ſapiā ne
mo venit niſi ꝑ grām. iuſticiā ⁊ ſciam. ſic ad
ꝯtemplationē nemo venit niſi ꝑ meditatio
nē ꝑſpicuā. ꝯuerſationē ſctām ⁊ orōnē de
uotā. Sicut igit̄ grā fūdamētū ē rectitudi
nis volūtatis. ⁊ illuſtratiōis ꝑſpicue rōnis.
ſic ꝑmo orandū eſt nob. deinde ſctē viuen/
dū. tercio ſpectaculꝭ v̄itatꝭ itēdēdū. ⁊ inten/
dendo gradatim aſcēdendū. q̄uſqꝫ veniat̄
ad montē excelſū. vbi videat̄ deꝰ deorꝝ i ſyō
Qm̄ igit̄ priꝰ ē aſcēdere q̄ꝫ deſcēdere i ſcala
iacob. ꝑmū gradū aſcēſionis collocemꝰ in
imo. ponendo totū iſtū mundū ſenſibilem
nobis tanq̄ꝫ ſpeculū. ꝑ qd̄ trāſeamꝰ ad deū
opificē ſummū. vt ſimꝰ veri hebrei trāſeun/
tes de egypto ad terrā prīb᷒ repromiſſam.
ſimus ⁊ chriſtiani cū xp̄o trāſeuntes ex hoc
mūdo ad prēm. ſimꝰ ⁊ ſapie amatores que
vocat ⁊ dic̄. Trāſite ad me oēs q̄ ꝯcupiſcitꝭ
me. ⁊ a generatōnib᷒ meis adimplemini. A
magnitudine em̄ ſpeciei ⁊ creature cogno/
ſcibiliter poterit horꝝ creator videri. Relu/
cet aūt creatoris ſumma potētia. ſapientia
⁊ beniuolētia in reb᷒ creatis. ſm̄ q̄ h̄ tripli/
citer nūciat ſenſus carnis ſenſui interiori.
Senſus em̄ carnis aut deſuit intellectui
rōnabiliter inueſtigāti. aut fidelit̄ credenti
aut intellectualit̄ ꝯtemplāti. Contēplans
ꝯſiderat rerꝝ exiſtentiā actualē. credēs rerū
decurſum habitualē. ratiocināns rerū p̄cel/
lentiā potentialē. Primo mō aſpectus ꝯtē
plantis res in ſeipis ꝯſiderās. videt in eis
pondus. numerū ⁊ menſurā. Pondus quo
ad ſitū vbi inclinant̄. numerū q̄ diſtingui/
tur. ⁊ menſurā q̄ limitant̄. Ac ꝑ hoc videt i
eis modū. ſpeciē ⁊ ordinē. necnō ſubſtātiā.

virtutẽ ⁊ opationẽ. ex quib⁹ ꝯſurgere pt ſi/
cut ex veſtigio ad intelligendũ potentiam.
ſapientiã ⁊ bonitatẽ creatoris immenſaꝫ.
Scđo modo aſpect⁹ fidel' ꝯſiderans hunc
mundũ. attẽdit originẽ. decurſum ⁊ termi
nũ. Nã fide credim⁹ aptata eſſe ſecula ṽbo
vite. Fide credim⁹ triũ legũ tpa. ſcꝫ nature
ſcripture ⁊ grẽ ſibi ſuccedere. ⁊ ordinatiſſi/
me decurriſſe. Fide credimus mundũ ꝑ fi
nale iudiciũ terminãdũ fore. In pmo potẽ
tiam. in ſcđo ꝓuidentiã. in tercio iuſticiam
ſummi pncipij aduertẽtes. Tercio modo
aſpect⁹ ratiocinãtꝭ inueſtigãs videt quedã
tm̃ eſſe. quedã aũt tm̃ eſſe ⁊ viuere. quedaꝫ
vero eſſe viuere ⁊ diſcernere. Et pma q̇deꝫ
eſſe minora. ſcđa media. tercia meliora. Vi
det iteꝝ quedã tm̃ eſſe corpalia. q̃dam par/
tim corpalia partim ſpũalia. ex q̃ aduertit
aliq̃ eſſe mere ſpũalia tanꝗ̃ vtriſq₃ meliora
⁊ digniora. Videt nihilomin⁹ quedaꝫ eſſe
mutabilia ⁊ corruptibilia. vt terreſtria. q̃/
dam mutabilia ⁊ icorruptibilia. vt celeſtia.
ex quo aduertit quedã eſſe imutabilia ⁊ in/
corruptibilia. vt ſupceleſtia Ex his g̊ viſibi
lib⁹ ꝯſurgit ad ꝯſiderandũ dei potentiaꝫ.
ſapiam ⁊ bonitatẽ. vt entẽ. viuentẽ ⁊ intelli
gentẽ. mere ſpũalẽ ⁊ incorruptibilẽ ⁊ intrãſ
mutabilẽ. Hec aũt ꝯſideratio dilatat̃ ſm̃
ſeptiformẽ ꝯditionẽ creaturaꝝ. que eſt diui
ne potẽtie. ſapiẽtie ⁊ bonitatis teſtimoniũ
ſeptiforme. Si ꝯſideret̃ cunctaꝝ rerũ ori/
go. magnitudo. mlˀtitudo. pulchritudo. ple
nitudo. opatio ⁊ ordo. Origo nanq₃ reruꝫ
ſm̃ creationẽ. diſtinctionẽ ⁊ ornatũ q̃ntuꝫ
ad opa ſex dierũ diuinã p̄dicat potentiaꝫ.
cuncta de nihilo ꝓducentẽ. ſapiam. cuncta
lucide diſtinguentẽ. ⁊ bonitatẽ. cuncta lar/
giter adornantẽ. Magnitudo aũt reꝝ ſm̃
molẽ longitudinis. latitudinis ⁊ ꝓfundita
tis ſm̃ excellentiã virtutꝭ longe lateq₃ et ꝓ/
funde ſe extendentꝭ. ſicut pꝫ in diffuſione
lucis ſm̃ efficaciã opatiõis intime. ꝯtinue
⁊ diffuſe. ſicut pꝫ in opatiõe ignis. manife
ſte indicat immẽſitatẽ potẽtie. ſapie ⁊ boni
tatis trini dei. q̇ in cũctis creaturꝭ ꝑ poten/
tiã. pſentiã ⁊ eſſentiã incircũſcriptus exiſtit
Multitudo vero rerũ ſm̃ diuerſitatẽ ge/
neralem. ſpecialẽ ⁊ indiuidualẽ. in ſubſtan/
tia. in forma ſeu figura ⁊ efficacia. vltra om
nẽ humanã eſtimationẽ. manifeſte triuꝫ p̄/
dictarũ conditionũ in deo. immẽſitatẽ inſi
nuat ⁊ oñdit. Pulchritudo aũt rerũ ſm̃ va
rietatẽ luminũ. figurarũ ⁊ colorũ. in corpo
rib⁹ ſimplicib⁹. mixtis ⁊ etiã cõplexionatis.
ſicut in corpib⁹ celeſtib⁹ et mineralib⁹. ſicut
lapidib⁹ ⁊ metallis. plantis et aĩalib⁹. tria
p̄dicta euident̃ ꝓclamat. Plenitudo auteꝫ
rerũ ſm̃ ꝙ materia eſt plena formis. ſm̃ ra
tiones ſemiales. forma eſt plena ṽtute. ſm̃
actiuã potentiã. virt⁹ eſt plena effectib⁹ ſm̃
efficientiã. idipm̃ manifeſte declarat. Ope
ratio multiplex. ſm̃ ꝙ eſt natural'. ſm̃ ꝙ eſt
artificialis. ſm̃ ꝙ eſt moralis. ſua multipli
ciſſima varietate oñdit immẽſitatẽ illi⁹ vir
tutis. artis ⁊ bonitatꝭ. que q̇dẽ eſt oĩb⁹ cau
ſa eſſendi. rõ intelligẽdi. ⁊ ordo viuẽdi. Or/
do aũt ſm̃ rõnẽ duratiõis. ſituatiõis et in/
fluentie. ſcꝫ ꝑ pus ⁊ poſteri⁹. ſupius ⁊ inferi
us. nobili⁹ ⁊ ignobili⁹. in libro creature inſi
nuat manifeſte pmi pncipij pmitatẽ. ſubli/
mitatẽ ⁊ dignitatẽ quãtũ ad infinitateꝫ po
tentie. Ordo vero diuinaꝝ legũ. p̄ceptoꝝ ⁊
iudicioꝝ. in libro ſcripture immẽſitatẽ ſa/
pientie.. Ordo aũt diuinoꝝ ſacramentorũ
beneficioꝝ ⁊ retributionũ in corpe eccleſie
immẽſitatẽ bonitatis. ita ꝙ ipe ordo nos ĩ
primũ ⁊ ſummũ potẽtiſſimũ ⁊ ſapiẽtiſſimũ
⁊ optimũ euidẽtiſſime manuducit. Qui igi
tur tantꝭ reꝝ creataꝝ ſplẽdorib⁹ nõ illuſtra
tur cec⁹ ẽ. q̇ tantꝭ clamorib⁹ nõ euigilat ſur/
dus eſt. q̇ ex oĩb⁹ his effectib⁹ deum non
laudat mut⁹ eſt. q̇ ex tantis indicijs pmuꝫ
pncipiũ nõ aduertit ſtult⁹ eſt. Aperi g̊ ocu
los. aures ſpũales admoue. labia tua ſol/
ue. ⁊ cor tuũ appone. vt in oĩb⁹ creaturis de
um tuũ videas. audias. laudes. diligas et
colas. magnifices ⁊ honores. ne forte ꝯtra
te vniuerſus orbis terraꝝ ꝯſurgat. Nã ob
hoc pugnabit orbis terrarũ cõtra inſenſa/
tos. ⁊ ecõtra ſenſatis erit materia glie. qui
ſm̃ ꝓphetã poſſũt dicere. Delectaſti me do/
mine in factura tua. ⁊ in opib⁹ manuũ tua/
rũ exultabo. ꝗ̃ magnificata ſunt opera tua
dñe. oĩa in ſapia feciſti. impleta eſt terra
poſſeſſione tua.

¶ De ſpeculatione dei in veſtigijs ſuis ĩ h̃
ſenſibili mõo. Cap. II. ⁊ gradus ſcđus.

SEd quoniã cir
ca ſpeculũ ſenſibiliũ nõ ſolum
contingit ꝯtemplari deũ ꝑ ipa
tanꝗ̃ ꝑ veſtigia. verũetiã in ipis inquantũ
eſt in eis ꝑ eſſentiã. potentiã ⁊ pſentiaꝫ. Et
hoc ꝯſiderare eſt alti⁹ ꝗ̃ p̄cedens. ideo hu/

ſſ

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ſuſmodi ꝯſideratio ſecundū tenet locum.
tanq̄ ſecūdus ꝯtemplatiōis gradus. quo
debem⁹ manuduci ad cōtemplandū deū
in cunctis creaturis q̄ ad mentē noſtrā in/
trant ꝑ corꝑales ſenſus. Notandū igiꝛ
ꝙ iſte mūdus ſenſibil' (qui dicitꝛ macrocoſ/
mus) intrat ad animā noſtrā. q̄ dicitꝛ mi/
crocoſmus. id eſt minor mūdus ꝑ portas
quinq̄ ſenſuū. ſm̄ ipoꝝ ſenſibiliū appꝛehen
ſionē. oblectationē ꝛ dijudicationē. Qđ pa
tet ſic. Nā in eo quedā ſunt generātia. que/
dā generata. quedā regentia hec ꝛ illa. Ge/
nerantia ſunt corꝑa ſimplicia. ſcʒ corꝑa cele
ſtia. et q̄ttuor elemēta. Nā ex elemētis per
virtutē lucis recōciliantꝭ ꝯtrarietatem ele/
mentorū in mixtis. habēt generari ꝛ ꝑdu/
ci quecūq̄ generantꝛ ꝛ ꝑducuntꝛ ꝑ operatio
nē virtutꝭ naturalis. Generata vero ſūt cor
pora ex elemētis cōpoſita. ſicut mineralia.
vegetabilia. ſenſibilia. et corꝑa hūana. Re/
gentia hec ꝛ illa. ſunt ſubſtātie ſpūales. ſiue
om̄ino ꝯiuncte. vt ſunt aīe brutales. ſiue
cōiuncte ſeꝑabiliter. vt ſunt aīe rationa/
les. ſiue om̄ino ſeparate. vt ſunt ſpirit⁹ cele
ſtes. q̄s philoſophi intelligētias. nos ange
los appellam⁹. Quibꝫ ſm̄ phōs cōpetit mo
uere corꝑa celeſtia. ac ꝑ hoc eis attribuitur
adminiſtratio vniuerſi. ſuſcipiēdo a prima
cauſa ſcʒ deo virtutꝭ influentiā. quā refun/
dunt ſm̄ opus gubernatōis. qđ reſpicit re
rū ꝯſiſtentiā naturalē. Scđm autē theolo/
gos attribuitꝛ eiſdem regimen vniuerſi ſm̄
imperiū ſummi dei. quātū ad oꝑa repara/
tionis. ſm̄ q̄ dicuntꝛ adminiſtratorij ſpirit⁹.
miſſi ꝓpter eos q̄ hereditatē capiūt ſalutis.
Homo igitꝛ qui dicitꝛ minor mūdus habet
q̄nq̄ ſenſus q̄ſi q̄nq̄ portas. ꝑ quas intrat
cognitio oīm q̄ ſunt in mūdo ſenſibili ī ani
mā ipius. Nā ꝑ viſum intrant corꝑa ſubli/
mia ꝛ luminoſa. ꝛ cetera colorata. ꝑ tactū ve
ro corꝑa ſolida ꝛ terreſtria. ꝑ tres vero ſen
ſus intermedios intrāt intermedia. vt per
guſtū aquea. ꝑ auditū aerea. ꝑ odoratū va/
porabilia. que aliq̄d habēt đ natura humi/
da. aliq̄d de aerea. aliquid de ignea ſeu cali
da. ſicut ptʒ in fumo ex aromatibꝫ reſoluto
Intrant igitꝛ ꝑ has portas tam corꝑa ſim/
plicia q̄ etiā cōpoſita ex his mixta. Quia
vero ſenſu percipim⁹ nō ſolū hec ſenſibilia
particularia. q̄ ſunt lux. ſonus. odor. ſapor.
ꝛ quattuor ꝓmarie qualitates quas appꝛe/
hendit tact⁹. verūetiā ſenſibilia cōmunia.

q̄ ſunt numer⁹. magnitudo. figura. quieſ
ꝛ motus. et om̄e qđ mouetꝛ ab alio mouetꝛ.
ꝛ quedā ſeipis mouentꝛ ꝛ quieſcūt. vt ſunt
aīalia. dū ꝑ hos quinq̄ ſenſus mot⁹ cor/
porū appꝛehendim⁹. manuducimur ad co/
gnitionē motorū ſpiritualiū. tanq̄ ꝑ effe/
ctū in cognitionē cauſarū. Intrat igitur
quātū ad tria rerū genera in aīam huma
nā ꝑ appꝛehenſionē tot⁹ mūdus iſte ſenſibi
lis. Hec autē ſenſibilia exteriora ſunt. que
ꝓmo ingrediuntꝛ ad aīam ꝑ portas quinq̄
ſenſuū. Intrāt inquā nō ꝑ ſubſtātias ſuas
ſed ꝑ ſimilitudines ſuas. ꝓmo generatas ī
medio. ꝛ de medio in organo exteriori. ꝛ de
organo exteriori in interiori. ꝛ de hoc in po
tentiā appꝛehenſiuā. Et ſic generatio ſpeci/
ei in medio. ꝛ de medio in organo. ꝛ conuer
ſio potētie appꝛehenſiue ſuꝑ illā. facit appꝛe/
henſionē omniū eorū que exteri⁹ aīa ap/
prehendit. Ad hāc appꝛehēſionē ſi ſit rei cō/
uenientꝭ ſequitꝛ oblectatio. Delectatꝛ autē
ſenſus in obiecto ꝑ ſilītudinē abſtractā ꝑ/
cepto. vel rōne ſpecioſitatis. ſicut ī viſu. vel
rōne ſuauitatis. ſicut in odoratu et auditu.
vel rōne ſalubritatꝭ. ſicut in guſtu et tactu
appꝛopriate loquēdo. Om̄is aūt delectatio
eſt ratiōe ꝓportionalitatis. Sed q̄m ſpeci/
es tenet rōnē forme. virtutꝭ ꝛ operatiōis.
ſm̄ ꝙ habet reſpectū ad ꝓncipiū a quo ma/
nat. ad mediū ad qđ tranſit. ad terminū in
quē agit. ideo ꝓportionalitas aut attenditꝛ ī
ſimilitudine ſm̄ ꝙ tenet rationē ſpeciei ſeu
forme. et ſic dicitꝛ ſpecioſitas. q2 pulchritu/
do nihil aliud eſt q̄ equalitas nūeroſa. ſeu
quidā partiū ſitus cum coloris ſuauitate.
Aut attenditꝛ ꝓportionalitas inquantū te/
net rationē potētie ſeu ꝟtutis. ꝛ ſic dicitur
ſuauitas. cū virt⁹ agens nō improportio/
naliter excedit recipientē. q2 ſenſus triſtatꝛ
in extremis. ꝛ in medijs delectatꝛ. Aut attē
ditur ꝓportionalitas inquātū tenet rōnem
efficacie ꝛ impꝛeſſionis. que tūc eſt ꝓportiona
lis q̄n agens impꝛmendo replet indigētiā
patientis. ꝛ h̄ eſt ſaluare ꝛ nutrire ipm̄. qđ
maxime apparet in guſtu ꝛ tactu. Et ſic ap/
paret quō ꝑ oblectationē delectabilia exte
riora. ſm̄ triplicē rationē delectādi. ꝑ ſimi/
litudinē intrāt in aīam. Poſt hāc appꝛehē
ſionē ꝛ delectationē fit dijudicatio. qua nō
ſolū dijudicatꝛ vtrū hoc ſit albū vel nigrū
q2 hoc ſolū ꝑtinet ad ſenſum exteriorē. nō
ſolū vtrū ſit ſalubre vel nociuum. quia hoc

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ꝑtinet ad ſenſum interiorē. verũetiam qua
dĳudicaꝛ et ratio reddiꝛ q̃re hoc delectat.
Et in hoc actu inquiriꝛ de rõne delectatio
nis.q̄ in ſenſu ꝑcipiꝛ ab obiecto. Hoc ē au/
tem cũ queriꝛ ratio pulchri. ſuauis et ſalu/
bris.⁊ inueniꝛ.quia hec eſt ꝓportio equali/
tatis. Ratio aũt equalitatis eſt eadē in ma/
gnis ⁊ paruis.nec extendiꝛ dimēſionibus.
nec ſuccedit ſeu trāſit cum trāſeuntib9.nec
motib9 alteraꝛ. Abſtrahit igiꝛ a loco.tp̃e et
motu.ac ꝑ hoc eſt incõmutabil'.incircũſcri
ptibilis.intermiabil'is ⁊ om̄ino ſpiritual'.
Dĳudicatio igiꝛ eſt actio.q̄ ſpeciē ſenſibilē
ſenſibiliter ꝑ ſenſus acceptā.introire facit.
depurādo ⁊ abſtrahendo in potentiā intel
lectiuā. Et ſic tot9 iſte mũdus introire ha/
bet in aĩam humanā ꝑ portas q̄nq̈ ſenſu/
um.ſm̄ tres opatiões p̄dictas. Hec autem
om̄ia ſunt veſtigia. in quib9 ſpeculari poſ/
ſumus deũ noſtrũ. Nā cũ ſpecies apprehē/
ſa ſit ſil'itudo in medio genita. ⁊ deinde ipi
organo impſſa.⁊ per illā impſſionē in ſuuz
principiũ.ſcʒ in obiectũ cognoſcenduz de/
ducat.manifeſte inſinuat ꝙ illa lux eterna
generat ex ſe ſimilitudinē ſeu ſplendorē co/
equalē.ↄſubſtantialē ⁊ coeternalē. Et ꝙ il/
le q̄ eſt imago ⁊ ſimilitudo inuiſibilis dei.⁊
ſplendor gl'e.⁊ figura ſubſtātie eius.q̄ vbi/
q̈ eſt ꝑ p̄mā ſui generationē.ſicut obiectuz
in toto medio ſuā generat ſimilitudinez.ꝑ
grām vnionis vniꝛ.ſicut ſpecies corporali
organo.indiuiduo rõnalis nature.vt ꝑ illā
vnionē nos reduceret ad p̄rem.ſic ad fon/
tale principiũ ⁊ obiectũ. Si ḡ om̄ia cogno
ſcibilia habēt ſui ſpeciē generare.manifeſte
ꝓclamant ꝙ in illis tanq̈ in ſpeculis vide/
ri poteſt eterna generatio v̄bi imaginis ⁊ fi
lĳ.a deo patre eternaliꝛ emanātis. Scd̃m
hunc modũ ſpecies delectans vt ſpecioſa.
ſuauis ⁊ ſalubris inſinuat.ꝙ in illa p̄ma ſpe
cie ē p̄ma ſpecioſitas.ſuauitas ⁊ ſalubritas
in q̄ eſt ſumma ꝓportionalitas et equalitas
ad generantē.in q̄ eſt virt9.non ꝑ phantaſ/
ma ſed ꝑ veritatez apprehenſiõis illabens.
in qua eſt impſſio ſaluans ⁊ ſufficiēs.⁊ om/
nē apphendētis indigentiā expellens. Si
ergo delectatio eſt ↄiunctio ↄuenientis cũ
ↄueniente.⁊ ſol9 dei ſimilitudo tenet rati/
onē ſumme ſpecioſi.ſuauis ⁊ ſalubris.⁊ vni
tur ſm̄ v̄itatē ⁊ ſm̄ intimitatē ⁊ ſm̄ plenitu
dinē replentē omnē capacitatez. manifeſte
videri poteſt ꝙ in ſolo deo eſt fontalis ⁊ ve
ra delectatio.⁊ ꝙ ad ip̄am ex om̄ib9 delecta
tionib9 manuducimur requirendā. Excel/
lentiori autē modo ⁊ i͂mediatiori dĳudica/
tio ducit nos in eternā veritatē. terci9 ſpe/
culandaz. Si em̄ dĳudicatio habet fieri ꝑ
rationē abſtrahentē a loco tp̄e ⁊ mutabili/
tate.ac ꝑ hoc a dimēſione.ſucceſſiõe ⁊ trāſ/
mutatione.ꝑ rationē immutabilē ⁊ incircũ
ſcriptibilē.⁊ interminabilē.nihil autem eſt
om̄ino i͂mutabile.incircũſcriptibile.⁊ inter
minabile.niſi qđ eſt eternũ.om̄e autē quod
eſt eternũ eſt de9 vel in deo. Si ergo om̄ia
quecũq̈ certi9 dĳudicam9.ꝑ hm̄oi rationē
dĳudicam9.patet ꝙ ip̄e eſt ratio omniũ re/
rũ.⁊ regula infallibilis. ⁊ lux veritatis.in q̄
cuncta relucēt infallibiliꝛ. indelibiliter.in/
dubitanter.irrefragabiliꝛ.indĳudicabiliꝛ.
incõmutabiliter. incoartabiliter. intermi/
nabiliter. indiuiſibiliter ⁊ intellectualiter.
⁊ ideo leges ille ꝑ quas iudicam9 certitudi
naliter de om̄ib9 ſenſibilib9 in noſtrā conſi/
derationē venientib9.cũ ſint infallibiles et
indubitabiles intellectui apprehendentis.
ſint indelibiles a memoria recolentꝭ tanq̈
ſemꝑ p̄ſentes.ſint irrefragabiles et indĳu/
dicabiles intellectui iudicantꝭ. quia (vt di/
cit Auguſtin9) nullus de eis iudicat.ſed ꝑ
illas.neceſſe eſt eas eſſe incõmutabiles ⁊ in
corruptibiles tanq̈ neceſſarias. incoarta/
biles tanq̈ incircũſcriptas.intermiabiles
tanq̈ eternas.ac ꝑ h̄ indiuiſibiles tāq̈ in/
tellectuales ⁊ incorporeas.non factas ſed
increatas.eternaliꝛ exiſtentes in arte eter/
na.a qua ⁊ ꝑ quā ⁊ ſm̄ quā formanꝛ ſpecio/
ſa om̄ia vel formoſa.⁊ ideo nec certitudina
liter iudicari poſſunt.niſi ꝑ illā q̄ nõ tm̄ fu/
it forma cũcta ꝓducens. verũetiā cũcta cõ/
ſeruans ⁊ diſtinguens tanq̈ ens in om̄ib9
formā tenens.⁊ regula dirigēs. ⁊ ꝑ quā di/
iudicat mens nr̃a cũcta que ꝑ ſenſus itrāt
in ip̄az. Hec autē ſpeculatio dilataꝛ ſm̄ cõ/
ſiderationē ſeptem differentiarũ numero/
rũ.quib9 quaſi ſeptez gradib9 cõſcendiꝛ in
deum.ſm̄ ꝙ oſtēdit Aug9.in libro de vera
religione.⁊ in ſexto muſice.vbi aſſignat dif
ferentias numeroꝝ gradatim cõſcendētiũ
ab his ſenſibilib9 vſq̈ ad opificē omniũ.vt
in om̄ib9 videaꝛ deus. Dicit em̄ numeros
eſſe in corporibus.⁊ maxime in ſonis ⁊ voci/
bus.et hos vocat ſonantes. Numeros ab
his abſtractos.et in ſenſib9 nr̃is receptos.
⁊ hos vocat occurſores. Numeros ab aĩa

ꝓcedentes in corpꝰ.ſicut pꝫ in geſticulatio
nibꝫ ꝛ ſaltationibꝫ.ꝛ hos vocat ꝓgreſſores.
Numeros in delectationibꝫ ſenſuū ex con/
uerſione intentiōis ſup ſpeciē receptam.et
hos vocat ſenſuales. Numeros in memo/
ria retentos.ꝛ hos vocat memoriales. Nu
meros etiā ꝑ quos de his oībꝫ iudicamꝰ.
ꝛ hos vocat iudiciales.ꝗ vt dictū eſt neceſ/
ſario ſunt ſupra mentē tanꝙ̄ infallibiles ꝛ
indijudicabiles. Ab his autē imprimūtur
mentibꝫ noſtris numeri artificiales.quos
tamē inter illos gradꝰ nō enumerat Augu
ſtinus.qꝛ cōnexi ſunt iudicialibꝫ.et ab his
manāt numeri ꝓgreſſores.ex quibꝫ creant
numeroſe forme artificiatorū.vt a ſummis
ꝑ media ordinatꝰ fiat deſcēſus ad infima.
Ad hos etiā gradatim aſcēdamus a nume
ris ſonantibꝫ.mediantibꝫ occurſoribꝫ.ſen/
ſualibꝫ ꝛ memoralibꝫ. Cū ergo omnia ſint
pulchra ꝛ quodāmodo delectabilia. ꝛ pul/
chritudo ꝛ delectatio nō ſint abſq̄ ꝓportio
ne.ꝛ ꝓportio primo ſit in numeris. neceſſe ē
oīa eſſe numeroſa.ac ꝑ hoc numerus eſt
ꝑcipuū in animo cōditoris exemplar.et in
rebus precipuū veſtigiū ducens in ſapien/
tiā. Quod cū ſit oībꝫ euidentiſſimū ꝛ deo
ꝓpinquiſſimū.ꝓpinqͥſſime quaſi ꝑ ſeptē dif/
ferentias ducit in deū.ꝛ facit euꝫ cognoſci
in cūctis corporalibꝫ ꝛ ſenſibilibꝫ. dūq̄ nu/
meroſa apprehendimꝰ. in numeroſis ꝓpor/
tionibꝫ delectamur.ꝛ ꝑ numeroſarū ꝓpor/
tionū leges irrefragabiliter iudicamꝰ. Ex
his duobꝫ gradibꝫ primis.quibꝫ manudu/
cimur ad ſpeculandū deū in veſtigijs.qua/
ſi ad modū duarū alarum deſcendentium
circa pedes colligere poſſumꝰ. ꝙ oēs cre
ature iſtius ſenſibil' mundi. animū cōtem/
plantis ꝛ ſapientꝭ ducūt in deū eternū.pro
eo ꝙ illiꝰ primi ꝑncipij potentiſſimi.ſapien
tiſſimi ꝛ optimi. illius eterne originis.lucꝭ
ꝛ plenitudinis.illiꝰ inquā artis efficientis.
exemplātis ꝛ ordinantis.ſunt vmbre.reſo/
nantie ꝛ picture.ſunt veſtigia. ſimulacra et
ſpectacula.nobis ad cōtuendū deum ꝓpo/
ſita.ꝛ ſigna diuinitꝰ data. Que inquā ſunt
ſicut exemplaria vel potiꝰ exempla.ꝓpoſita
mentibꝫ adhuc rudibꝫ ꝛ ſenſibilibꝫ. vt ꝑ ſen
ſibilia que vidēt transferant ad intelligibi/
lia que nō vident.tanꝙ̄ ꝑ ſigna ad ſignata.
Significant autē huiuſmodi creature hu
ius mūdi ſenſibilis inuiſibilia dei partim.
qꝛ deus eſt oīs creature origo, exemplar
ꝛ finis.et oīs effectus eſt ſignū cauſe ꝛ ex
emplatū exemplarꝭ.ꝛ via finis ad quē du/
cit.partim ex ꝓpria repſentatōe. partim ex
ꝓphetica ꝑfiguratiōe.partim ex angelica o/
peratione.partim ex ſupaddita inſtitutiōe
Oīs eñ creatura ex natura eſt illiꝰ eter/
ne ſapientie quedā effigies ꝛ ſimilitudo.ſꝫ
ſpecialiter illa ꝗ in libro ſcripture ꝑ ſpiritū
ꝓphetie aſſumpta eſt.ad ſpiritualiū ꝑfigu/
rationē. Specialiꝰ autē ille creature.in q̄/
rum effigie deꝰ angelico miniſterio voluit
apparere. Specialiſſime vero ea.quam vo
luit ad ſignandū inſtituere.que tenet nō ſo
lum rationē ſigni ſm nomen cōmune.ve/
etiā ſacramenti. Ex quibꝫ oībꝫ colligitur
ꝙ inuiſibilia dei a creatura mundi per ea
que facta ſunt intellecta cōſpiciunt.ita ꝙ ꝗ
nolunt iſta aduertere.et deū in his omnibꝫ
cognoſcere.benedicere et amare inexcuſa/
biles ſint.dū nolunt trāſferri de tenebris
in admirabile lumē dei. Deo autē gratias
ꝑ ieſum chriſtū dominū noſtrū.qui nos de
tenebris trāſtulit in admirabile lumen ſu/
um.dū per hec lumina exteriꝰ data.ad ſpe/
culū mentis noſtre.in ꝗ relucent diuia.di/
ſponimur ad reintrandū.

¶ De ſpeculatōne dei ꝑ ſuā imaginē natu
ralibꝫ potentijs inſignitā.

Capitulū III.ꝛ gradus tercius.

Quoniam autem duo gradus ꝑdicti. ducēdo nos
in deū ꝑ veſtigia ſua (ꝑ que i cun
ctis creaturis relucet) manuduxerūt nos
vſq̄ ad hoc.vt ad nos reintraremꝰ in men
tem ſcꝫ noſtraꝫ.in ꝗ diuina relucet imago.
Hinc eſt ꝙ iā tercio loco ad noſmetipſos
intrātes.et q̄ſi atriū forinſecꝰ relinquentes.
in ſanctꝭ ſcꝫ anteriori parte tabernaculi co
nari debemꝰ ꝑ ſpeculū videre deuꝫ.vbi ad
modū candelabri relucet lux veritatꝭ in fa/
cie noſtre mentꝭ.in qua ſcꝫ reſplendet ima/
go beatiſſime trinitatꝭ. Intra igit̄ ad te ꝛ vi
de qm̄ mens tua amat feruētiſſime ſemet
ipaꝫ.nec ſe poſſet amare niſi ſe noſceret.nec
ſe noſceret niſi ſui meminiſſet.quia nihil ca
pimus ꝑ intelligentiā quod nō ſit ꝑſens a/
pud noſtrā memoriā. Et ex hoc aduertis
animā tuā triplicē habere potentiā.nō ocu
lo carnis.ſed oculo ratōis. Conſidera igit̄
harū triū potentiarū opationes ꝛ habitu/
dines.et videre poteris deū ꝑ te tanꝙ̄ ꝑ ſpe

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ymaginē.qđ eſt videre ꝑ ſpeculū ⁊ ī enigma
te. Operatio aūt memorie eſt retētio ⁊ re
pſentatio.nō ſolū pſentiū ⁊ corꝑaliū ⁊ tem
poraliū.verūetiā ſuccedentiū.ſimplicium
⁊ ſempiternaliū. Retinet nāq; memoria pte
rita ꝑ recordationē.pſentia ꝑ ſuſceptionē.
futura ꝑ puiſionē. Retinet etiā ſimplicia ſi/
cut pncipia quantitatū cōtinuaꝝ ⁊ diſcre/
taꝝ.vt punctū.inſtans.⁊ vnitatē.ſine qb⁹
impoſſibile eſt meminiſſe aut cogitare ea q̄
principiant ꝑ hec. Retinet nihilomin⁹ ſci/
entiarū pncipia ⁊ dignitates.vt ſempiter/
nalia ⁊ ſempiternaliter.q2 nunq̄ pōt ſic ob
liuiſci eoꝝ dūmodo ratiōe vtat.q̄n ea au/
dita approbet.⁊ eis aſſentiat.nō tanq̄ d no/
uo ꝑcipiat.ſed tanq̄ ſibi innata ⁊ familiaria
recognoſcat. Sicut ptꝫ.ſi ꝓponatur alicui
de quolibet affirmatio vel negatio.vt.omne
totū eſt maius ſua parte.vel q̄cunq; alia di
gnitas.cui nō eſt ꝯtradicere.admittit rati/
one. Ex pma igit retentiōe actuali oīm tē/
poraliū.pteritoꝝ.ſcꝫ pſentiū ⁊ futuroꝝ.ha
bet effigiē eternitatis.cui⁹ pſens indiuiſibi
le ad oīa tpa ſe extendit. Ex ſcđa apparet
ꝙ ipa nō ſolum habet ab exteriori formari
ꝑ phantaſmata.verūetiā a ſupiori ſuſcipiē/
do ⁊ in ſe habēdo ſimplices formas.que nō
poſſunt introire ꝑ portas ſenſuū ⁊ ſenſibi/
liū phantaſias. Ex tercia habet ꝙ ipa ha/
bet lucē incōmutabilē ſibi pſentē.in q̄ me/
minit inuariabiliū veritatū. Et ſic ꝑ opera
tiones memorie apparet ꝙ ipa aīa eſt ima
go dei ⁊ ſilitudo.adeo ſibi pſens ⁊ eum ha/
bens pſentē ꝙ eū actu capit.⁊ ꝑ potentiā
capax eius eſt.⁊ particeps eſſe pōt. Ope
ratio autē virtutꝫ intellectiue eſt in ꝑcepti/
one intellect⁹ terminoꝝ.ꝓpoſitionū et illa/
tionū. Capit autē intellectus terminoꝝ ſi/
gnificata.cū cōprehendit qđ eſt vnūquod/
q; ꝑ diffinitionē. Sed diffinitio habet fie/
ri ꝑ ſupiora.et illa ꝑ ſupiora diffiniri habēt
vſq; quo veniat ad ſupna ⁊ generaliſſima.q̄
bus ignoratis nō poſſunt intelligi diffini/
tiue inferiora. Niſi igit cognoſcat quid eſt
ens ꝑ ſe.nō pt plene ſciri diffinitio alicuius
ſpecial' ſubſtātie. Nec ens ꝑ ſe cognoſci pōt.
niſi cognoſcat cū ſuis conditiōib9.que ſūt
vnum.verū.bonū. Ens autē cū poſſit cogi
tari vt dīminutū.⁊ vt cōpletū.vt impfectuꝫ
et vt pfectū.vt ens in potētia.⁊ vt ens in a/
ctu.vt ens ſm quid.⁊ vt ens ſimpliciter.vt
ens in parte.⁊ vt ens totalit.vt ens tranſi/
ens.⁊ vt ens manens.vt ens ꝑ aliud.et vt
ens ꝑ ſe.vt ens ꝑmixtū nō enti.⁊ vt ens pu
rum.vt ens dependēs.⁊ vt ens abſolutuꝫ.
vt ens poſteri⁹.⁊ vt ens pus.vt ens muta/
bile.⁊ vt ens imutabile.vt ens ſimplex.⁊ vt
ens cōpoſitū.cū priuatōes ⁊ defect⁹ nulla/
tenus poſſint cognoſci niſi ꝑ poſitiōes.nō
venit intellect⁹ noſter vt plene reſolnēs in
tellectū alicui⁹ entiū creatoꝝ.niſi iuuet ab
intellectu entis puriſſimi.actualiſſimi.cō/
pletiſſimi ⁊ abſoluti.qđ eſt ſimplicit ⁊ eter/
nū ens.in q̄ ſunt ratōes omniū in ſua puri
tate. Quō autē ſciret intellect⁹ hoc eſſe ens
defectiuū ⁊ incōpletū.ſi nullā haberet co/
gnitionē entis abſq; oīni defectu. Et ſic de
aliis ꝯditiōib9 ꝓlibatis. Intellectū aūt ꝓpo
ſitionū.tunc intellect⁹ nr̄ dicit veraciter cō
prehendere.cū certitudinalit ſcit illas ve/
ras eſſe.⁊ hoc ſcire ē ſcire.qm̄ nō poteſt fal/
li in illa cōprehenſiōe. Scit eni ꝙ veritas
illa nō pōt aliter ſe habere. Scit igit veri/
tatem illā eſſe incōmutabilē. Sed cū ipſa
mens nr̄a ſit cōmutabilis.illā ſic incōmu/
tabiliter relucentē nō poteſt videre.niſi per
aliq̄m aliā lucē oīno icōmutabilit radiātē.
quā impoſſibile eſt eſſe creaturā mutabilē.
Scit igit in illa luce q̄ illumīat oēm hoīem
venientē in hunc mōm.q̄ eſt lux vera ⁊ ver/
bum in pncipio apud deū. Intellectū autē
illationis tūc veraciter ꝑcipit nr̄ intellect⁹.
quādo videt ꝙ cōcluſio neceſſario ſequit ex
pmiſſis.quod nō ſolū videt in terminis ne
ceſſariis.verūetiā in cōtingentib9.vt ſi ho/
mo currit hō mouet. Hanc autē neceſſari/
am habitudinē ꝑcipit nō ſolū in reb9 enti/
bus.verūetiā in nō entib9. Sicut eni ī ho/
mine exiſtēte ſequit.ſi homo currit.homo
mouet.ſic etiā nō exiſtente. Huiuſmōi igit
illatiōis neceſſitas non venit ab exiſtentia
rei in materia.q2 eſt ꝯtingēs.nec ab exiſten
tia rei in aīa.q2 tunc eſſet fictio ſi nō eſſet ī
re. Venit igit ab exemplaritate ī arte eter/
na.ſm quā res habēt aptitudinē ⁊ habitu/
dinē ad inuicē ad illi⁹ eterne artis repſenta
tionē. Omis igit vt dicit Auguſtin⁹ in lib.
de vera religione.vere ratiocinantꝫ lumen
accendit ab illa veritate.⁊ ad ipam nitit ꝑ/
uenire. Ex q̄ manifeſte apparet.ꝙ cōiunct⁹
ſit intellectus noſter ipi eterne veritati.dū
niſi ꝑ illā docentē nihil verū poteſt certitu/
dinaliter cape. Videre igit ꝑ te potes veri/
tatem.que te docet.ſi te ꝯcupiſcētie ⁊ phan/

taſmata nō impediāt. ⁊ ſe tanq̄ȝ nubes in/
ter te ⁊ veritatis radium nō interponant.

Operatio autē virtutꝭ electiue attendit
in cōſilio. iudicio ⁊ deſiderio. Conſiliū aūt
eſt in inquirēdo quid ſit meliꝰ. hoc an illud
Sed melius nō dicit niſi per acceſſum ad
optimū. Acceſſus autē eſt ſcḋm maiorē aſſi/
milationē. Nullus igit ſcit vtrū hoc ſit illo
melius. niſi ſciat illud optimo magis aſſi/
milari. Nullus autē ſcit aliquid aliꝗ magis
aſſimilari. niſi illud cognoſcat. Non enim
ſcio hunc ſimilē eſſe petro. niſi ſciam vel co
gnoſcā petrū. Omi igit conſilianti neceſſa/
rio eſt impſſa noticia ſummi boni. Iudiciū
autē certū de ꝯſiliabilibꝫ. eſt ꝑ aliquā legeȝ.
Nullus autē certitudinaliter iudicat ꝑ le/
gem. niſi certꝰ ſit ꝙ illa lex recta ſit. ⁊ ꝙ ipaȝ
iudicare nō debet. Sed mens nr̄a iudicat
de ſeipā. Cū igitur nō poſſit iudicare de le
ge per quā iudicat. lex illa ſuperior eſt men
te nr̄a. ⁊ ꝑ hanc iudicat ſcḋm qḋ ſibi impreſſa
eſt. Nihil autē eſt ſupius mēte humana. ni/
ſi ſolus ille q̇ fecit eam. Igit in iudicando
deliberatiua noſtra ptingit ad diuinas le/
ges. ſi plena reſolutione diſſoluat. Deſide/
riū aūt principalit eſt ipius quod maxime
ipm mouet. Maxime autem mouet quod
maxime amat. Maxime autē amat eſſe be
atum. Beatū auteȝ eſſe non habet. niſi per
optimū et finē vltimū. Nihil autem appetit
humanū deſideriū niſi ſummū bonuȝ. vel
quod eſt ad illud. vel qḋ habet aliquā effi/
giem illiꝰ. Tanta eſt vis ſummi boni. vt ni
hil niſi per illius deſideriū a creatura poſ/
ſit amari. Que tunc fallit ⁊ errat. cū effigiē
et ſimulacrū pro veritate acceptat. Vi/
de ergo quomō aīa deo eſt propinqua. et
quomō memoria in eternitatē. intelligen/
tia in veritatē. electiua potētia ducit in bo/
nitatē ſummā ſcḋm opationes ſuas. Scḋm
autem harū potentiarū ordinē. originem ⁊
habitudinē ducit in ipam beatiſſimā trini/
tatem. Naȝ ex memoria orit intelligētia. vt
ipſiꝰ proles. q̇a tunc intelligimus cū ſimili
tudo q̄ eſt in memoria reſultat in acie intel
